

www.e-rara.ch

De pleuritide disputatio medica

Rabus, Johann Wolfgang

Basileae Helvetiorum, anno 1579

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-64>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

D E
PLEVRITIDE
DISPUTATIO
MEDICA,

Publico Doctorum, bonorumq; exa-
mini, in celeberrima BASILIEN-
SIVM Academia,
proposita
A

IOAN. VVOLFGANGO RABVS,
Argentinenſi.


*Disputabitur, fauente Deo, iv. Iduum
Auguſti, horâ 11x matutina,
loco conſueto.*



Basileæ Heluetiorum, excudebat
Leonardus Oſtenius. Anno 1579.

Catalog





DE PLEVRITIDE,

CONCLUSIO I.



IATERALIVM dolorum multæ sunt differentia, pro varijs partibus affectis, & materia dolorem inferente. Quas equidem paucis, diligenter attamen expendendas esse ducimus: tum ut vera Pleuritis quid sit, intelligatur: tum, ut ea cognita, quivis latus occupans dolor, methodicè curari possit.

II.

Lateris itaq; dolor, Externus alius est: alius Internus. Hic quidem, velin membrana costas succingente: velin musculis intercostalibus consistit: Ille verò in musculis exterioribus, vel intra cutem, & costas.

III.

Dignoscitur dolor externus, quòd tactu, pressuq; exacerbetur, quòd sine febre sit, sine sputo, sine tussi, sine spirandi difficultate, nulla que neq; tensio, neq; durities, in pulsu percipiatur.

IV.

Internus autem dolor, tussi, febre, spirandi difficultate, & pulsus duritie dignoscitur. In quibus, id quoq; discrimen diligenter observandum fuerit, quo muscutorum internorum dolor, à dolore membranae costas succingentis discernitur: hæc enim, si inflammatione patiatur, punctorio molestatur dolore, difficiliorg, est in latus sanum decubitus, ut facilior est, si musculos inflammari contingat. Hoc etiam nò punctorio, sed pulsatili dolore nobis innotescit.

V.

Materia verò dolorem in hisce partibus inferens, humor quivis, aut flatus est, qui præter naturam huc sese insinuavit: Humores vel pari sunt, vel inter se commisti. Sanguis extra venas erumpens, inflammationem parit, quæ pro varijs humoribus cū sanguine iunctis, varias quoq; differentias obtinet.

VI.

His in hunc modū præsuppositis, veram Pleuritidem esse dicimus, MEMBRANAE COSTAS SUCCINGENTIS INFLAMMATIONEM EX SANGVINIS FERVIDIORIS INFLUXU. quampunctorius dolor, continua febris, respiratio difficilis, frequens, parva: Tussis, pulsus durus, atq; tensus, fre-

quens, parvus, omniaq; vehementiora comitantur.

VII.

At verò, quòd hæc etiam signa iccoris inflammationi conueniant, & peripneumoniæ, non videtur vllum solitarium haberi signū ueræ pleuritidis, verè pathognomonicū. Nam materia peccātis signa sunt eadem, eadem etiam sunt partis affectæ: siquidem inflammatum iccur, aut pulmones, suo pondere, membranam costas succingentē, ad se trahentes, dolorem ex diuulsione puncturium, quandoq; inducere solent.

II X.

Peripneumonia tamen, ut & iccoris inflammatio, alia ratione dignoscuntur: siquidem in hac, pulsus undosus, molliorq; existit, dolor percipitur grauius in latere dextro, tussis exigua, eaq; perpetuò sicca, lingua fuliginosa, uel atra, uel flaua, fluxus alui prauus, ut plurimum molestat: accedit quòd eadem, præsertim in parte epatis conuexa, si fuerit inflammatio, vel ipso tactu, digitorū mæ pressu, haud difficulter deprehendatur.

IX.

Peripneumonia verò dignosci poterit, ex doloris specie, qui grauius itidem sentitur, ex pulsu molli, & undoso, difficultate spirandi maxima, insuper male, totaq; facies impensè rubent.

X.

Porro, cum hic præcipuus Medici sit scopus, futurum, ut pleuritidis euentum præuideat, sanitatemq; restituat, ob id ea, quæ secūdum, & ea quæ præter naturam, in hoc morbi, naturaq; conflictu, conspiciuntur: causæ nimirum morbum inferentes, & virium ægrotantis constitutio, diligenter expendenda sunt.

XI.

Externis ergo causis annumerantur, quacūq; humores, vel copia, vel calore, vel motu fluxiles reddunt: ut sunt præter alias, exercitia, vini intemperantia, constitutio anni, contusio, casus, &c.

XII.

Interna causa mediata, siue antecedentes numerantur, temperatura, ætas, corporis habitus, &c. immoderatio sanguinis copia, acrimonia, tenuitas, propellentium partium robur, viarum laxitas, excipientis partis imbecillitas, sitūsue declinior.

XIII.

Continens autem causa, sanguis est, parti affectæ impactus, actūq;
iam

iam inflammationem faciens, qui pro ratione antecedentis cause modo purus est, modo biliosior, modo pituitosior, modo magis melancholicus. Discernitur hoc calor, & febris, aliorumque symptomatum vehementia, vel remissione, diuersis item coloribus, & consistentia sanguinis emissi, uel sputorum: pallidior enim bilis est, ruber sanguis, alba pituita, nigerque melancholicus humor.

XIV.

Vires egrotantis ubi robuste fuerint, morbusque nec malignus, nec pertinax, certam, breuique futuram, pollicentur salutem: sed imbecillae vires, vel mortem, vel morbi diurnitatem minantur. Hanc quidem, si mitior fuerit morbus: illam vero si grauis & acuta Pleuritis extiterit.

XV.

Morbus autem remissior est, qui non ita grauibus urget symptomatis, & qui materiam obtinuerit concoctioni magis accommodatam. Illud ipso sensu notum est, hoc recta ratione dignoscitur, ex sputis nimirum bonis, bene, citoque prodeuntibus. Quo fit, ut cum celerem, certamque, ex se ipsa, polliceatur salutem concoctio, nostrum hac in parte amplectamur Hippocratem, qui in Aphor. 12. ex sputo, in Pleuritide statim initio apparente, breuem eam fore denunciat.

XVI.

Ad curationem descendentes, eam ipsdem ferme scopis perficiendam arbitramur, quibus & reliquarum internarum inflammationum. Materia siquidem in locum affectum influxa, euacuanda venit, vel sensibilibus, vel insensibilibus: Materia quae in fluxu est, ne ad partem affectam precipitetur, auertenda. Partem mittentem, tum recipientem, tum attrahentem diligenter prospiciendum. Et quia materia trahitur vel propter dolorem, vel propter calorem, enitendum, ut & dolor sedetur, & feruor partis mitigetur.

XVII.

Ad hos autem scopos implendos, ex triplici fonte remediorum materiam v: plurimum desumimus: Dietetico nimirum, Chirurgico, & Pharmaceutico.

XIIX.

Dietam in sex rerum non naturalium rita administratione potissimum consistit. Aer eligendus temperatus, non calidus, non frigidus: Somnus sit moderatus: Aluus, si debite non fluat, lenis & mollis seruanda. Cibus pro morbi magnitudine, viriumque robore moderandus.

Loco vini (quod aliquando tamen, pro agri consuetudine, morbi natura, viriumq. constitutione concedi, attamē rariū potest) potio præscribenda pectoralis, quæ tepida semper, nunquam frigida actū, agro ministranda, &c.

XIX.

¶ Victu instituto, si Hippocratis consilium imitari animus fuerit, fo mentis humori superabundanti familiaribus, ut plurimum autem moderatē calefacientibus & humectantibus, utpote (teste Galeno) mitissimis & tutissimis agendum erit: tanquam (ut idem docet 6. aphor. 31) omnino utilitatem aliquam afferētibus, vel ut causa sanis tatis, & auxilium certissimum, corpore non existente plethorico: vel tanquam signum, ex quo dispositionem corporis cognoscentes, ad totius euacuationem tutius, certiusq. descendimus.

XX.

Hæc verò totius euacuatio, cum fieri possit & pharmacis, & missione sanguinis per venæ sectionem, nos Hippocratis ex natura, humorisq. motu consilium sequentes, si dolor ad hypochondria descendērit, & morbus leuior, uel antiquior fuerit, benigniore aliquo phar maco purgabimus: sin ad claviculam dolor ascenderit, cæteris consentientibus venam incidemus. Quamquam venæ sectio, ipsi purgationi, in plerisq. casibus unā cum Galeno, non immerito præponenda videatur.

XXI.

Sed quoniam, ut in reliquis inflammationum speciebus ferè omnibus, ita & in præsentī, duplex nobis est propositus scopus. Primò, ut morbi augmentum, quatenus licet inhibeamus: Secundò, ut ipsius quod factum iam est tollamus. Priori, ex natura indicationum satisfaciemus, si influente etiamnum materia, & corpore plethorico existente, reuulsione gratia, venam oppositi lateris secuerimus, vel etiā venam pedis, (observata semper Hippocratica rectitudine venarū) si ingens humorum in corpore redundantia, vel consuetarum purgationum aliqua suppressa fuerit. Alterum verò assequemur, tū alijs remedium materijs: tum verò secantes venam cubiti, è directo affecto lateri respondentem.

XXII.

Verū enim verò, quoniā ut in alijs ferè morbis omnibus, ita & in præsentī, usu veniat, ut priusquam Medici ad agros vocati fuerint, initium morbi iam transierit, sit ut semper ferè necessarium sit, san-

sanguinem à vena cubiti eiusdem lateris mittere. Vnde Galenum rectissime sensisse dicimus, neq. nobis aduersari, qui alibi scribit: Mif-
sionem sanguinis in Pleuritide, ab opposito latere, & tardā, & obscu-
ram afferre utilitatem.

XXIII.

Ceterum & terminus vacuationis diligenter considerandus. Hūc
verò nobis rectissime monstrabit humoris euacuandi copia, habitara-
tione & atatis, & natura laborantis, & virium roboris. Quauquam
& Hippocratis nostri praeceptum, expectandam scilicet esse coloris ef-
fluentis sanguinis mutationem, locum habere possit, in ijs maxime
(monente Galeno) casibus, ubi vena cava proxima fuerit affecto loco,
viresq. agri (in quarum robore omnis salutis spes posita videtur) per-
ferre queant, nulla, sub sit inflammationis malignitas.

XXIV.

Reliquae porro in affecta parte consistentes, euacuari poterunt,
vel insensibiliter per decocta, inunctiones, reliqua, id genus resoluē-
tia, & discutiētia, modeste tamen adhibita, ne importuniore eorum
usu, pus promoueamus: dum solam diaphoresin moliri animus est.
Vel sensibiliter, idq. per sputum, vel per urinarias vias, per quas na-
turam Criticè quandoq. Pleuriticis expurgasse, obseruatum legimus

XXV.

Quod si materia nullo Medici ingenio, à loco affecto expurgari
possit, sed natura suppurationem iam attentarit (quod quomodo co-
gnosendam sit, per pulchrè nos Hipp. 2. prognost. docuit, inquiēs: si do-
lor perduret, & nullis auxilijs sedetur, nec etiam natura ope per spu-
tum expurgetur, suppurationem esse expectandam) erit ea & catas-
plasmatis, & alijs suppurationem promouentibus, studiosè adiuan-
da, & tandem per eas vias educenda, quas natura motum obseruās
solers Medicus, conuenientiores indicauerit.

XXVI.

Tandem si Pleuritis notha fuerit, & à flatibus interclusis prode-
at, diligenti totius habitara-tione, solis ijs, quae flatum dissipare, discus-
tereq. valent, ferè curabitur.

XXVII.

Ea verò, quae in externis thoracis musculis ex destillatione, aliaue
de causa, suscitata fuerit pleuritis, praemissis praemittendis cucurbitu-
lis alijsq. attrahentibus medicamentis, foras magis trahatur, coquat-
ur, rumpatur, tergeatur, glutinetur.

